



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.  
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In  
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.  
VII. Pont. Max.

**Esparza Arteida, Martin de**

**Lugduni, 1666**

Qvæst. II. Vtrum virtutes Theologicæ sint homini necessariæ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

*Attingens immediatè, ac præcisè ratione sui Deum*, distinguit à Virtutibus moralibus, tam acquisitis, quam infusis, siue sint purè morales, siue participantes imperfectè à rationem Virtutis Theologicae. *Ut auctorem supernaturalem*, distinguit iterum clariùs à Virtutibus Theologicis naturalibus, quæ secundum præsentem eleuationis statum, sunt virtutes tantum secundum quid. *Ut obiectum suum præcipuum*, distinguit ab habitu Theologiae considerante veritates Theologicas, atque ab aliis, si quæ sunt, similibus Virtutibus, quæ moueantur ex æquo perfectione diuina, & creata.

Art. 4. Hac omnia, quæ claritatis Gratia seorsim expressa sunt, paucioribus verbis complectuntur communiter Theologi apud Magistrum, & cum D. Thoma loc. nuper indicantes Virtutem Theologicam esse, *Habitum per se infusum, quo bene disponimur in ordine ad vltimum finem: esse Habitum, cuius obiectum est Deus, quatenus excedit proportionem humane Naturæ, seu quatenus est vltimus finis, & principium supernaturale*. Quæ, & similia sunt prorsus æquivalentia inter se, & cum definitione à nobis data. Quia habitus eo ipso, quòd sit per se infusus, est supernaturalis; & eo ipso, quòd sit supernaturalis, fertur ad obiectum supernaturale, vt supernaturale. Atque è conuerso, eo ipso, quòd obiectum habitus sit supernaturale, habitus ipse est etiam supernaturalis, & per se infusus. Deinde obiectum in ordine ad quod exponitur absolute essentia habitus, eo ipso subintelligitur attingi ab eodem immediatè, ratione sui, atque esse præcipuum respectu ipsius: siquidem specifica ratio habitus dependet ex huiusmodi obiecto.

Art. 5. Existentia huiusmodi Virtutum constat ex Concilio Moguntino cap. 9. Ait enim: *Cum venia peccatorum homo etiam Dei Gratiam, & Spiritum sanctum, vnà cum fide, simul Charitatem in corde diffusam, ac Spem accipit, usque donis in ipso manentibus, non iam solum reputatur, aut nominatur, sed verò existit infusus*. Constat rursus ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. de Iustificat. In Iustificatione, ait, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, *in inferitur, Fidem, Spem, & Charitatem*. In quibus testimoniis habetur in primis expressè infusio istarum trium Virtutum, & quidem infusio eiuſdem rationis cum infusione Gratia iustificantis, & remissionis peccatorum, quam certum est, non per accidens, sed per se infusam. Habetur deinde in Moguntino permanentia earundem Virtutum; vnde constat sermonem esse, non de actibus, sed de habitibus, qui soli sunt permanentes ex se.

Art. 6. Idipsum colligitur ex Trident. Tum quia in cap. immediatè præcedenti loquutum fuerat de actibus quatenus disponentibus ad iustificationem, & præmissa expressa illorum mentione in principio illius capituli 7. superaddit nullo alio interposito, voluntariam susceptionem Gratia, & donorum vtique habitualium, ne idipsum præsupponatur, vt dispositio, & subinferatur, vt terminus dispositionis. Tum quia omnibus iustificatis attribuuntur tres istæ Virtutes; cum certum sit iis, qui per solam attritionem disponuntur ad iustificationem, non inesse actum Charitatis. Iam verò tres istas virtutes versari circa Deum præcipuè, & ratione sui, ideoque esse Theologicas, constabit ex multis aliis testimoniis, dum de singulis eorum seorsim ageretur infra.

Art. 7. Propter testimonia modò proposita, & expensa, censent plerique Theologi, & meritò, existentiam istarum Virtutum esse certam ex fide, aduersus nonnullos alios negantes hanc rem ad dogmata fidei pertinere, non solum sub hac voce, & conceptu formali Habituum, Virtutumque Theologicarum; sed etiam quoad rem ipsam, qualitercumque significatam, eò quòd prædicta testimonia, & alia si-

milia de solis actibus accipi possint, quod tamen satis constat ex præmissis expensionibus nostris non magis fieri posse, quam possint alia testimonia ad iustificationem indubitanter alios articulos fidei detorqueri in sensibus alienos à fide Catholica. Cæterum omnes conueniunt existentiam Virtutum Theologicarum etiam quoad habitus esse iam ita certam ex allatis, aliisque testimoniis, vt sine magna tentatione negari minimè possit.

Ad 1. Concilia, & Patres, dum agerent contra Pelagianum, qui de re erat sermo qu. illa 15. egere de necessitate Gratia ad actus salutare, ante, & post Iustificationem, & Conuersionem ad fidem. Propterea non erat è re, vt agerent de Gratia vlla habituali; quia nulla talis datur ante conuersionem ad fidem; & vix vlla ante Iustificationem. Cæterum postea suborta est oportunitas in Ecclesia, vt patet ex testimoniis supra allatis, vt determinaret de necessitate, & existentia Gratia, atque adiutorij habitualis. Vnde in hac materia accidit, quod in aliis etiam, vt articuli prius latentes postea manifestarentur.

Ad 2. Patet ex nuper præmissis. Ad 3. Apud neutrum Pontificem controversia fuit de existentia virtutum infusarum: sed ea supposita in genere tanquam in lubitata apud omnes; solum quærebatur, an illæ infunderentur paruulis in Baptismo, de quo puncto nondum quidquam ex fide certum innotuerat Ecclesie. Verum Concilium Tridentinum postea superueniens omnem deinceps dubitandi licentiam, quoad hoc punctum sustulit, proposita, tanquam credenda ex fide, infusione Gratia, & donorum, seu virtutum, præsertim Theologicarum, in instanti iustificationis, simulque nullo quoad hoc posito discrimine inter paruulos, & adultos. Sermo enim est generalis, absque vlla ætatum differentia, vt liquet ex allatis eius testimoniis.

## QVÆSTIO II.

### *Vtrum virtutes Theologicae sint Homini necessariae?*



**I**DETVR non esse. 1. Quia Deus naturaliter innotescit homini, vt summum bonum, & vltimus suus finis. Ergo neque ad cognitionem, neque ad amorem Dei, vt iuncti boni, & vltimi finis, indiget homo adiutorio vllius habitus Theologici per se infusi. Patet autem ad nihil aliud necessarios, aut etiam viles esse posse eiusmodi habitus.

2. Virtutes Theologicae dicuntur, quibus ordinamur ad Deum, tanquam ad primum Principium, & vltimum finem: Homo autem ex sua præcisè natura secundum se considerata, est ordinatus intrinsecè ad Deum, vt ad summum bonum, & vltimum finem. Ergo non indiget virtutibus Theologicis sibi superadditis per infusionem.

3. Adulti nondum iustificati eliciunt primos actus Theologicos absque habitibus Theologicis. Ergo eosdem absque iisdem elicere similiter possunt post iustificationem. Nunquam ergo indigent talibus habitibus, sed sufficit si inuentur à Deo, vel per solum auxilium extrinsecum; vel per sola auxilia actualia Gratia.

4. Saltem iis, qui iustificantur, & pereunt ante vsum rationis nec necessariae sunt, nec vlli vsum esse possunt virtutes Theologicae. Ergo, vel nulla est, vel certè vniuersalis non est necessitas earum.

Art. 1. Resp. Illæ virtutes, sine quibus non possumus consequi nostrum vltimum finem, sunt nobis procul

proculdubio necessaria. Sine virtutibus autem Theologicis non possumus consequi nostrum ultimum finem. Quia finis ultimus de facto nobis propositus est Deus optimus, maximus, quatenus auctor supernaturalis, & excedens limites rationis humanæ, sub quo conceptu accedere ad Deum nequaquam possumus, nisi adiuti per virtutes Theologicas. Quia Deum, ut auctorem supernaturalem, & excedentem limites rationis humanæ, non possumus intendere, nec proinde ordinare media ad consecutionem eius, abique virtutibus Theologicis, quibus scilicet solis innotescere potest Deus, ut auctor supernaturalis, & amari, ut finis ultimus eiusdem ordinis: Impossibilis verò est directio mediorum ad eius finis consecutionem, absque eiusdem cognitione, & amore.

Art. 2. Accedit neminem posse consequi suam ultimum finem, nisi præhabita Gratia iustificante; ac proinde nisi inita prius perfecta amicitia supernaturali cum Deo. Perfecta autem amicitia supernaturalis non potest iniri cum Deo absque virtutibus Theologicis. Per istas etenim solas habere possumus perfectam unionem cum Deo, subordinatam nostri respectu ipsius, quoad partem intellectivam, & appetitivam; siquidem per omnes alias virtutes, non nisi mediate, & imperfectè attingere Deum possumus. Omnes namque aliæ virtutes, vel versantur immediatè circa objecta creata, vel sunt naturales, attinguntque Deum imperfectè. Patet autem eiusmodi unionem esse de conceptu perfectæ amicitia supernaturalis inter hominem, & Deum, uti clariùs apparebit ex dicendis infra, maximè de virtute Charitatis.

Art. 3. Interim pro formando aliquali conceptu de præstantia, & peculiari perfectione virtutum Theologicarum per se infusarum super omnes alias virtutes naturales, & supernaturales, & consequenter de peculiari earundem conducentia, & necessitate ad intendendum, & obtinendum prædictum ultimum finem, observandum est, quod non potest innotescere nobis, nisi per virtutem Theologicam, perfectio divinæ naturæ, quatenus fecunda, & capax ob infinitatem suam Trinitatis Personarum, quibus inter se realiter distinctis, absque vlla sui distinctione, ac multiplicitate communicetur infinitè, ac identificetur: Omnipotentia quatenus suscitans mortuos, penetrans corpora, ac idem corpus constituens simultaneè in pluribus locis inuicem distantibus, iustificans impios, & producens unionem hypostaticam; Misericordia, & Benignitas exhibens de facto omnes istos effectus, & insuper revelans arcana divina, quæ non licet homini loqui; obligans nobis fidem divinam per pacta, & pretiosas promissiones; coniungens homines Deo per veram, & supremi generis amicitiam; donans iisdem Filium Dei Unigenitum, & cætera omnia cum ipso: Iustitia exigens pro remissione peccatorum infinitam eiusdem Unigeniti satisfactionem; constituens filios iræ totum genus humanum, ex aliquo actuali vnius hominis peccato, sanciens pro peccatis æternitatem pœnæ per viros, sed veros cruciatos: Æternitas superans infinito durationis intervallo durationem omnium, & singularum rerum creaturarum: Immenitas potens coexistere infinitis aliis mundis, & spatiis, absque vlla extensione, aut mutatione: Scientia futurorum contingentium etiam conditionerum certissimè prælaga. Voluntas liberimè dominans rebus vniuersis per vsus, & modos libertatis innumeros, & per Providentiam reliquis hiscè perfectionibus congruentem. Quæ omnia, & similia complura, partim sunt penitus imperuia rationi naturali, partim non nisi confusè, aut incertè cognoscibilia, ut apparet inter alia, ex monumentis Philosophi, nimium manifestè verificantis scriptis suis, suum illud verissimum Axioma: Mentem ho-

R.P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

minis comparatam cum Deo, ita se habere, sicut se habent oculi vesperilionis ad radios solis. Vtique adeò misera, & infelix est notitia hominis sibi relicti circa Deum, etiam cum ditissima, & felicissima est atque in culmine humanæ facultatis constituta; ut fuit in Philosopho. Patet autem ex cognitione eorum Dei prædicatorum, quæ per summa solum capita infinuata tantum sunt, resultare amorem Dei infinito propè intervallo maiorem, quam qui ex eius cognitione naturali oriri possit, iustaque planè proportionem disponentem ad ultimum finem, qui mortalibus de facto præfixus est supernaturalis, & excellentissimus.

Art. 4. Iam verò perfecta eiusmodi adhesio ad Deum non solum actualis, & transiens ex sua natura; sed permanens etiam intrinsecè, ac habitualis esse debet. Primum, quia hoc, inter alia, differt ultimus finis, ab aliis finibus, quod ad ultimum finem omnia referri debent, & semper. Quod autem semper, & per omnes operationes præstari debet, requirit ex natura rei virtutem permanentem, disponentemque ad id habitualiter. Deinde perfectio amicitia (quam dictum est necessariam esse cum Deo ad consecutionem ultimi finis) postulat habituales unionem intellectus, & voluntatis inter amicos. Nec enim sufficit, si amicabiliter quandoque operentur, cum contraria, aut nulla dispositione permanenti, ad sic operandum absque vllò limite, aut temporis, aut operum. Patet igitur virtutes Theologicas per se infusas esse homini omninò necessarias.

Ad 1. Iam dictum est, Deum innotescere admodum imperfectè per rationem naturalem, nec posse dependenter ab ipsa concipi actus habentes proportionem cum ultimo fine, qualis de facto propositus est homini. Quia illud ipsum conceptum summi boni, & ultimi finis, miserimè deformat ratio naturalis, & deprimit quasi infinite, si comparatur cum conceptu eiusdem rei, qualem efformat fides.

Ad 2. Homo ex sua natura est intrinsecè ordinatus ad Deum præcisè, ut auctorem, & finem naturalem. Indiget ergo nihilominus virtutibus Theologicis per se infusis, ut possit levare se supra se, & ferri ad Deum, ut ad auctorem, finemque supernaturalem, ultra proportionem, & limites suæ naturæ.

Art. 1. Ad 3. Iam ostensum est non perfectè, ac sufficienter ordinari hominem ad ultimum suum finem, per solam actualem conversionem ad illum; sed opus præterea esse permanenti, & habituali animi adhesionem ad eundem; id quod solum haberi potest per divinam istorum habituum infusionem. Ratio, ob quam actus Theologici fieri debeant absque habitibus antè iustificationem, iidemque ad eandem sint necessarij post iustificationem, apparebit opportunè quæst. 9.

Art. 2. Quod attinet ad iuvenam intellectus, & voluntatis per auxilium extrinsecum, ut admittatur possibile de potentia Dei absoluta; ex natura tamen rei est impossibile: Tum quia finis hominis est possidendus ab ipso per formam intrinsecè inhaerentem eidem tam ex parte actus secundi, quam ex parte actus primi proximi; atque oportet dispositionem ad formam esse eiusdem proportionaliter rationis cum ipsa forma. Tum quia ad perfectionem cuiusque causæ ordinatæ ad aliquem effectum pertinet ex natura rei, ut habeat in se, quantum fieri potest, potestatem ad illum efficiendum, præsertim quando effectus est intrinsecè perfectius suæ causæ, ne transeat ad perfectionem actus secundi, non præhabens eodem modo perfectionem actus primi.

Art. 3. Quæ ratio confirmatur primò, quia in ordine naturali nulla reperitur causâ ordinatâ ad aliquem effectum, cui non tribuatur à Deo virtus ad

V u 2 illum.

illum sufficiens eidem intrinseca. Ordo autem supernaturalis est quoad omnia præstantior ordine naturali, & ex sua natura abundat magis omnibus bonis. Confirmatur rursus, quia quælibet causa est melius disposita, magisque laudabilis, quod minus indiget extrinseco alterius causæ adiutorio. Est autem impossibile ex natura rei, ut causa ordinata à Deo ad finem omnium perfectissimum, & gloriosissimum, quoad substantiam, & modum, non disponatur ab eodem omnino perfecte laudabiliter, ac gloriose ad consecutionem eius.

Ad 4. Pueri indigent gratia sanctificante, ut mündentur à peccato originali. Gratia autem sanctificans est indistincta, vel certe intrinsece connexa, & inseparabilis ab habitu Charitatis, cui sunt coniunctæ ex natura rei Fides, & Spes; & ex omnium sententia Gratia iustificanti sunt necessariò annexæ omnes virtutes supernaturales, ut proprietates connaturales, decus, & ornamentum perpetuum hominis iusti, & amici Dei, siue sit in statu vtendi illis proximè, siue tantum remotè, propter impedimentum accidentale, quale est, quod inest paruulis ante vsum rationis; at tanta namque natura ipsorum est per accidens, quòd tales habitus in iis vsum non habeant, sicut quòd eundem non habeant plures aliæ facultates homini connaturales, quas non propterea illis negat natura.



### QVÆSTIO III.

#### *Vtrum virtutes Theologicæ sint tres?*



IDENTVR non esse. 1. Quia virtutes multiplicantur iuxta multiplicatam obiectorum formalium, nec multiplicari possunt nisi illis multiplicatis. Obiectum autem formale virtutis Theologicæ est Deus, cuius omnis perfectio est vna indiuisibilis realiter. Ergo non potest dari nisi vna virtus Theologica.

2. Si dicatur ad distinctionem realem virtutum sufficere distinctionem rationis inter formalitates obiecti motui, admittendæ erunt virtutes Theologicæ multò plures, quàm tres, quia perfectiones, & attributa diuina ratione distincta sunt multò plura quàm tria. Ergo virtutes Theologicæ, vel non sunt multæ, vel sunt plures, quàm tres.

3. Perfectiones Dei sunt plures, quàm perfectiones Creaturarum, quia omnes perfectiones Creaturarum sunt in Deo, & multæ præterea aliæ. Ad prosecutionem autem omnium perfectionum creaturarum dantur virtutes morales longè plures quàm tres. Ergo à fortiori ponendæ sunt virtutes Theologicæ multò plures, quàm tres, ad prosecutionem omnium perfectionum diuinarum.

Art. 1. Resp. Virtutes Theologicæ sunt necessaria ad cognoscendum, & amandum Deum, ut auctorem, ac finem supernaturalem, ut dictum est. Ad hoc autem tres virtutes requiruntur, & sufficiunt. Ad cognoscendum enim requiritur, ut patet, atque etiam sufficit vna virtus, nempe habitus Fidei. Quia per hunc habitum innotescunt tum Deus, ut vltimus finis, tum cætera omnia referibilia ad ipsum; idque sub vnica ratione formali moti à Dei reuelantis, ut dicitur infra. Quare vnica tantum datur virtus Theologica, ex parte intellectus.

Art. 2. Iam ad amandum Deum requiruntur, & sufficiunt duæ aliæ virtutes, quia Deo conuenit duplex ratio boni, alia respectu sui secundum se, alia respectu

nostri. Quatenus est bonus sibi, quòd ipsi conuenit necessariò, terminat Charitatem; quatenus est bonus nobis, quòd eidem conuenit liberè, terminat Spem. Ite autem duæ virtutes sunt inuicem necessariò distinctæ respectu hominis viatoris, non solum ob diuersitatem formalem obiecti modò insinuatam, sed præterea, quia isti duo amores non sunt inuicem subordinati, nec connexi mutuo, dum sumus in via; potest enim alter eorum leuiter ab altero exerceri, atque peruenire ad amorem concupiscentiæ, qui est proprius Spei, non existente amore amicitiae, qui est proprius Charitatis. Imò etiam posito aliquo impossibili cum habitu Charitatis, quale est quodvis peccatum lethale, potest perseverare habitus Spei, qui non excluditur per quodvis eiusmodi peccatum.

Art. 3. Tres ergo virtutes Theologicæ requiruntur, & sufficiunt, vna intellectualis, & duæ affectivæ, ut homo sit rectè ordinatus respectu Dei, ut sui vltimi finis supernaturalis, quæ est indubitata omnium sententia, ex illo Pauli 1. ad Cor. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc. Maior autem horum, est Charitas.* Vbi nec dici potest Apostolum dimittam, aut falsam instituisse diuisionem virtutis circa Deum, de qua agebat, pluribus enumeratis, quàm recipiam, aut paucioribus, vel non satis exposuisse, quam prædicat enixè, præminentiam Charitatis super omnes alias virtutes, ommissa aliqua alia virtute Theologica, cum qua eam non contulerit.

Art. 1. Ad 1. & 2. Ad multiplicatam realem virtutum, non est necessaria multiplicitas realis obiectorum, quia intellectus capax præcindendi, & voluntas eliciens actus dependenter à cognitionibus præcisiuis, perinde feruntur in formalitates distinctas ratione, ac si forent obiecta realiter distincta. Obiectum enim realiter vnum multiplicari ratione in diuersas formalitates, nihi est aliud, quàm, quòd est idem in se, apparere in intellectu aliud, atque aliud. Voluntatis autem obiectum est bonum apprehensum, id est, est bonum, non ut est in se præcisè; sed ut apparet per actum intellectus. Ergo perinde voluntas elicit actus inter se specie distinctos, realiter, existente multiplici eiuusmodi apparentia ex parte intellectus, atque si darentur obiecta realiter multa, & diuersa. Nec se nihilominus non est tot virtutes realiter multiplicari, quot sunt eiusmodi formalitates ratione distinctæ. Quia quæ sub vnica ratione mouendi continentur, & quod ipsam inter se conueniunt, aut perfecte subordinantur, possunt omnes vnica tantum virtute terminare, quæ rationem illam formalem respicit, & illique adæquatè correspondeat. Quod maxime locum habet in Deo, cuius omnes formalitates, prout respiciuntur à Virtutibus Theologicis, transeunt diuinitas, ideoque reddit omnes æquè perfectas, non solum realiter, sed etiam formaliter, si secundum se præcisè considerentur. Ergo possibilis est virtus realiter indiuisibilis, quæ promiscuè omnes, & singulas formalitates diuinas complectatur.

Art. 2. Quod si possibilis est, asserenda est existens de facto. Quia causa efficiens adæquata virtutum Theologicarum, de quibus modò agitur, est Deus, cuius illimitata potentia producit effectus, vnumquemque in suo genere perfectissimos, vnumquemque in suo genere perfectissimos, nec perperam multiplicat entitates æquivalentes vni perfectiori, nulla existente ratione limitandi singulas ex parte Creaturarum, cuiusmodi ratio in præsentis non datur, nisi quæ conueniat multiplicatè numeri tantum ternarij. Quia vnica in primis habitus fidei adæquatè respiciens auctoritatem diuinam, quatenus dat infallibilitatem omnibus, & singulis reuelationibus possibilibus, est sufficiens ad earum omnium assensum, præter quàm negatiuum sui. Similiter vnica alius habitus respiciens bonitatem diuinam, quatenus bonam sibi, est sufficiens ad dilectio